VINCULUM PACIS,

SIVE

DE S. SPIRITUS

ADVENTU.

ORATIO

Habita in Sacello Pontificio

AD SANCTISSIMUM D. N.

INNOCENTIUM XII.

PONT. MAX.

A JULIO IMPERIALI
Sem. Rom. Convict.

ROMÆ, M. DC. XCVII.
Typis Antonii de Rubeis propè S. Sylvestrum de Capite in via Vitis.

Superiorum Permissu.

INNOCENTIO XII.
PONT. MAX.

JULIUS IMPERIALIS FOELICITATEM.

VINCULUM PACIS *cui nam potissimùm quàm Augusto Tuo nomini consecrarem*, BEATISSIME PATER, *qui Reges filios diligentibus adeò studiis jam diù ad Concordiam invitas? Alia certè manu necti Cœlestis hæc Spira minimè potest, nisi illâ, quæ quodcumque in terris ligat, ligat in Cœlo. Scimus Divinum Spiritum, qui æterni Amoris est nodus, unà cum Cæli clavibus*

ſe ipſo manus Tuas impleviſſe. Siſtere igitur Tibi debueram Soli, quod ſolus præbabes: Non equidèm, ut aliquid meum dare, ſed ne aliquid rapere Tuum viderer. Fortunent proinde Superi vota quæ concipis: Mundo quidem; Sed, quod plus eſt, Te digna, diviſaſque in ſui perniciem nationes Cœleſti hoc Vinculo fœlicitèr necte. Adde ut Æternum Vivas.

ORA-

ORATIO.

ILLUSTRI formidinis apparatu conſpicuus exagitat hodie Sionis Curiam Spiritus ille, qui dictus eſt ab Apoſtolo *Vinculum Pacis*. Eſſe quid hoc dixerim, BEATISSIME PATER, Eliæ ne renovantur miracula? An implentur vaticinia? Utrumque, & ventos, & tonitrua, & fulgura, & ignes, & commotiones Terrarum, iterum in famulatum adſcivit *Sibilus auræ tenuis*, ut oſtendat 3.Reg.19. ſuum eſſe Pacem impertiri mortalibus, qui placidiſſimi *Venas ſuſurri* ſui tantis componeret Job 4. motibus elementorum.

Et ſanè quonam aptiori Concordiæ Vinculo ligentur hominum animi, quàm ęterno illo beatiſſimi Amoris nexu, quo Pater, & Filius in Cœlo junguntur? Unum eundemque Deum, quo nil uſquam magis aut idem, aut Unum, egregia perſonarum oppoſitione fœlicem nobis fides inſinuat. Quanto hæc oppoſitio oppoſitionibus noſtris prętantior! Utinam ſic noſtra vota pugnarent! Utinam non aliter mortalium pectora diſſiderent!

Ex

S. Aug. de Verb. Domini ser. 11 cap. 12 & 20. Ex divinis tamen Personis: *Communis nullà duabus dicitur nisi tertia*. Pater non est Pater amborum. Filius non est Filius amborum: sed Spiritus Sanctus est Spiritus unus amborum. Si igitur hodierna die (Gal. 4. 6.) *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra*; Indigna est se ipsâ humanæ cogitationis modestia. Eo enim planè Vinculo ad invicem jungimur, quo ad invicem Patri Deo jungitur Filius Deus. O sortem inauditæ dignitatis, quin & tranquillitatis! Quæ unquam terris contingere potuisset fœlicitas major, quàm ut idem Spiritus, qui ut ait Augustinus: *Societas est quodammodo Patris, & Filii* diffusus in cordibus nostris fieret quoque nostrorum animorum optata societas?

Inspicite quæso quàm sapienter gratia vicerit hodiè Babylonis delictum, ut nostræ concordiæ adlaboraret. Olim in Babylonis, hoc est confusionis Campo in linguis nationes divisit discordia. Hodie in Sionis, hoc est, Pacis Cœnaculo, nationes in linguis Charitas unit. Illìc linguæ venerunt in fauces; hic in vertices. Illìc cor fatuorum fuit ubi lingua; hic lingua sapientum ubi cor. Illìc denique de una lingua factæ sunt multæ; hic de multis facta est una.

Infœlix enimverò natura! Ignotum nomen tibi hactenus fuerat fraternus amor, quæ vel infans sævire didiceras. Primi terrarum fratres primi fuerunt hostes: neque urbs tantummodo, ut ait ille; sed & Orbis lustratus est sangui-

guine, dedicatuſque parricidio. Quid igitur mœſti repetimus bellorum origines, & ſine filo labyrinthos odiorum intramus? in promptu nobis eſt cauſa irarum, qui trahimus à primo Parente in venas ipſas diſcordiam, malæ appendicem hæreditatis. Eſſemuſne homines, ſi concordes eſſemus? Adami noxa, quæ hominem ſejunxit à Deo, hominem pariter ſejunxit ab homine; non utique tantùm ab altero, ſed ipſum à ſe. Par enim erat, ut qui cum Deo Pacem habere noluerat, neque ſecum haberet, neque cum ſuis; hìnc odia; hìnc bella; hìnc charitas, ſublime nomen, traductum ad titulum mendicitatis. Quid faciat igitur Genus humanum? ſævit in ſeipſum, præda iræ ſuæ, quia olim culpæ ſuæ. Plectitur Reus homo ſe Carnifice ſanguinis ſui ſitibundus, vel cum naufragus: eluvionem aquarum ſubintravit cruoris eluvio: Divina promiſſa pœne viſi ſumus eludere. Deficientibus enim undis ſanguinem advocavimus, ut iterum mergeremur; nec ideo cataractæ Cœli apertæ ſunt, ſed venæ Populorum.

Grates enimverò immortales Auctori Concordiæ Divino Spiritui; illi videlicèt Columbæ, quæ olivam charitatis naufragantibus attulit. Columbæ, inquam, illi, quam *ut pacem donet protinùs* hodie enixis precibus fidelium cætus exorat. Apparuit tandem amabilis flamma, quæ rixarum ignes igne meliore compeſceret: diffuſus eſt Amor in hominum animos, quo odium ip-

ſum

ſum non amari poſſit tantummodò, ſed & ama-
re. Ament igitur homines homines, ament ſeip-
ſos, ament Deum. Triplici hoc Charitatis fu-
Eph. 3. 4. niculo fœlicitèr vincti: *Servabunt* (quod ait
Apoſtolus) *Unitatem Spiritus in Vinculo Pacis*.

LAUS DEO.